

DE O D U C E
M E D I T A T I O S . E V A N G E L I I .

DOMINICÆ XII. POST TRINITATIS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-

numq; aliquot decisione, ad uberiorem textūs, cūm opus est,
explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

In Regia Aboënsi Academia.

P R A E S I D E

DN. A E S C H I L L O P E T R A E O .
S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore.

Examini subjicit, in Auditorio Majori, boris solitis
Ad diem 24 April. Anno 1652.

NICOLAUS PETRI THAUVONIUS
N Y L A N D U S .

Theophyl. in Marc.

Erat autem morbus ille à Dæmons. Jam quod de turba seorsim apprehendit illum, ideo factum, quod non erat arrogantis sectator qui se humiliarat usq; ad nostram inopiam, & ut plurimum, noluit coram multis miracula facere, nisi forte propter videntium utilitatem.

Hieron. in Marc.

Aperit sunt aures eius ad hymnos, & cantica & Psalms. Solvitur lingua, ut eructet verbum bonum, quod non possunt minze, nec verbera cohibere. Ut ait Apostolus Paulus, Ego vincitus: Sed non est alligatum in me verbum Dei.

A B O E

Excuebat Petrus Wald/ Acad. Typog: 1652.

Admodum Reverendo ac Amplissimo in Christo Patri
ac DOMINO.

Dn. M. JOACHIMO JHE,
RINGIO, Inclytarum Dicēces. Esthonicæ & Oe-
siliā Episcopo ac Antisteti longe dignissimo, Regijq; Consi-
storijs Revaliensis Præsidi gravissimo, Theologo celeberrī-
mo, Patrono ac Mecænati suo, omni obsetvantia cultu,
summaq; mentis devotione æternum reverendo.
NEC NON

Viris Reverendis Praeclarissimo ac Prestantissimis,
DN. M. PETRO TURDINO Ecclesiæ Sue-
cicæ Reval. Pastori meritissimo, Consistorijq; Ecclesiastici i.
bid. Assessori vigilantissimo Fautori ac Promotoris suo ut indu-
bitatissimo, ita quovis officiorum genere colendissimo.

Dn. PETRO M. THAUVONIO, Past. in Karis dignissi-
mo, Parenti suo omni filiali reverentia æternum prosequendo.

Dn. ABRAHAMO HERMANEN Pastori in
Kyrciosleth attentissimo, fautori suo certissimo.

Dn. PETRO T. MOMMERO Ecclesiæ Finnicæ Re-
val. Pastori fidelissimo, Avunculo suo charissimo,

UT ET

Fortissimo ac Persistenuo Viro,

Dn. JEREMIAE P. LANGHMANI exercit is pede-
stris bene constituto capitaneo, fratri suo germano.

Sacram hanc bomiliam pro multis beneficijs sibi præsti-
tis ac in spem ulterioris promotionis, debitæq; gratitu-
dinis ob fidem totus devovet

Nicolaus P. Thauvonus,
Respondens.

MEDITATIO TEXTUS
DOMINICÆ XII. POST
TRINITATIS.

In Sancta & Summe Laudande Trinitatis, Patris, filii,
& Spiritus Sancti Nomine.

Domine labia mea aperies, & os meum annuncia-
bit laudem tuam, Ps. 51. v. 17. Hæc verba ora-
tionem continent quam David ad Deum direxit post
quam Natan Propheta ad eum venisset, eumq; nomine
Dei increpasset, propter peccatum commissum cum
uxore Uriæ, & illum virum mortis pronunciasset, cumq;
vicissim absolvisset intellecta Davidis seriâ pænitentiâ,
2. Sam. 12. Orat. a. David in his verbis, ut Deus velit in
se excitare debitam gratitudinem pro impetrata remis-
sione peccati sui, ut labia sua sint prompta, & os pro-
num ad laudandum Deum pro tanta sua misericordia.
Quà Davidis oratione docetur labia & os nostrum per
peccatum fieri tardius & segniter addicendum Deo debi-
tas laudes. Ideoq; Deus etiam interdum beneficium
auditus & loquela hominibus aufert, redcit eos mutos &
surdos, ut discant rebus beneficis rectè uti. De hoc etiam
in hodierno Evangelio.

Oremus autem Deum, ut hodiernum Evangelium ita medi-
tari queamus, ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in
argumentum & incrementum doctrina, & bonorum operum, in
suum & fiduciam, & tandem in aeternam beatitudinem: Dio-
camus igitur. Pater noster, &c.

E VANGEL. Marc. 7.

Et rursum egressus de finibus Tyri & Sidonis, venit ad mare Galileæ, per medios fines decapoleos, & adducunt ei surdum, impedit æḡ linguae; & deprecabantur eum ut imponat illi manum. Et cum apprehendisset eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas ejus, & sputo emisso, tetigit lingvam ejus, ac suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi Ephphata quod est aperire. Et statim aperte sunt ejus aures, & solutum est vinculum lingvæ ejus, ac loquebatur recte. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Sed quo magis ille ejus præceperat, hoc potius amplius prædicabant, & supra modum stupebant dicentes, Benè omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui.

Profectionem quandam Christi describit Evangelista in hoc Evangelio ex finibus Tyri & Sidonis, ad mare Galileæ per medios fines decapolis. In hac profectione hoc evenisse ait Evangelista, quod quidam surdus & mutus adductus sit ad Christum, cui & Christus manum imponere rogatus est. Hunc hominem seorsim acceptum Christus sanat, loquela & auditum restituens varijs usus gestibus immisit digitum in aures ejus, sputo, tactu lingvæ ejus, aspicio in cœlum, ingemiscendo ac dicendo Hephphetath h. e. aperire. Quo verbo a Christo prolat, aperiuntur illius aures, & expeditè loquitur, soluto vinculo lingvæ ejus. Christus a. prohibet divulgarē hoc miraculum. Sed nihil efficit hæc suā prohibitione. Quo enim magis prohibet, hoc illi magis in vulgus spar-

serunt. Hinc admiratio supra modum; dicentibus ijs qui viderunt & audiverunt hoc factum: Omnia bene fecit surdos fecit audire & mutos loqui.

Admonemur precepti secundum, ut invocemus Esum in omni necessitate, & eum laudemus. Censimur secundus articulus Symboli. de divinitate Christi, quia restituit auditum & loquaciam surdo & muto.

P A R T E S.

1. De Christi profecione cuius Evangelista hic mentionem facit.

2. De Miraculo à Christo in hac profecione edito.

Atq; haec sunt istae partes, quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: Omnipotens & aeternus Deus, Pater noster caelitus dilectissimus, nolis omnibus benedictus. sicut ag utiliter & fructuose cedere faciat.

P A R S P R I M A.

In qua meditamur:

I. Unde Christus profectus

cum hunc surdum & mutum sanasset. Unde Christus profectus sit ostendit Evang. dicens: Christum egressum ex finibus Tyri & Sidonis. Quâ occasione Christus hoc venit indicat S. Marcus in verbis precedentibus hunc textum in hoc capite, vidz. quod Christus significaverit discipulis se velle eo ire, ut paulisper lateret. Cum enim eò venisset inquit S. Marcus noluit quemquam rescire, verum non potuit latere. Sine dubio scivit Christus

illuc mulierem esse in magno dolore, propter fissam mis-
serem a dæmonio agitatem, cui nemo succurrere potuit
alius, scivit etiam Christus sine dubio quanta hæc mulier in
Christum pollebat fide. Ideo Christus eò iter instituit. Ul-
traq; civitas quondam florentissima fuit. Sidon prius
fuit Metropolis in illa regione, hæc deleta est. Postea
cæpit Tyrus crescere, & florere, adeo ut nulli civitatib;
quoad divitias & splendorcm cederet. Describit hujus
civitatis statum Ezechiel cap. 28. v. 27. Eiq; exitium mi-
natur. Quod etiam Esajas prius fecit cap. 23. Sicuti &
alij Prophetæ. Et Esajas quidem non obscure vaticina-
tur, quis eversurus esset Tyrum, dicens regem Kittim il-
lum esse, h. e. Alexandrum Magnum, qui etiam eam ur-
bem funditus delevit. Et ita Prophetarum vaticinia im-
pleta, cum populus se emendare nollet.

L. C. Hæc diligentè consideranda sunt, ut eum legi-
mus Historias, cogitemus de ira Dei adversus peccata, &
de judicio Dei. Hæc calamitas ab Esaja prædicta est, qui
cap. 23. inquit, venturos esse adversarios Tyri ex Kittim,
i. e. Macedonia, quæ urbs tunc erat opulentissima. Le-
ge totum caput Esajæ 23. Ex his exc̄plis discite Deum
verè & horribiliter irasci peccatis nostris. Ideo timea-
mus Deum, & non dubitemus quin sint venturæ pa-
super Sveciam, quæ & hoc tempore cervicibus nostris
propter innumerabilia scetera nostra, & contemptum
verbi Dei imminent. Et hæc non tristissima tempora
haud dubio sunt, de quibus Christus, Mat. b. 24. inquit:
Audituri estis bella, & rumores bellorum. vide ne turbo-
mini, oportet enim omnia fieri & nondum est finis. Con-
surget enim gens contra gentem; regnum contra re-
gnū, & erunt Pestilentia & fames, & terræ motus sin-
gulis locis. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. I.

deo oremus Deum, ut inter illas ruinas servet Ecclesi-
am, & nos in Ecclesia vigilemus omni tempore, depre-
cantes, ut liceat nobis effugere ista omnia, quæ futura
sunt, & stare ante filium hominis.

II. Loci ad quem Christ⁹ pro-

fectus appellationem. Hanc indicat S. Marcus dicendo Christum venisse in hāc suā p̄fōctiōne ad mare Galileæ. Fuit lacus in civitate Galileæ prope Capernaum. Hic lacus vocatur mare T̄yberiadis à civitate quadam quam ædificavit Herodes in honorem Tiberij Cæsarīs, eamq; vocavit Tiberiadēm. Vocatur aliás hic lacus stagnum Genzaret: Circa quod stagnum Christus ut plurimum versatus fuit, & ab illo multa illic gesta sunt. Et fuit hic qua si pecularis Christi officina, dum in Galilæa esset, docendi & miracula faciendi. Ad hunc lacum Christus venit ex finibus Tyri & Sidonis, ut iterum inferviret populo in ægrotorum sanatione, & in verā doctrinā informatione. Ita diligentiam in officio suo prodens summam.

L. C. Admonemur diligentia quisq; in suo offi-
cio, ut si aliquantis per absumus, quietis gratia & in parē
laboribus, redeamus iterum. Hoc vult Apostolus Rom
12. quando requirit ut simus fervidi, non legnes, non tar-
di, sed ut quilibet sit quasi in stadio currens, cavens, ne
ab alio vincatur. 1. Cor. 9. Salomon pigros ablegat ad
formicam, jubetq; considerare ejus diligentiam per to-
tam æstatem, quamvis neminem habeat cucem, & quila-
borate præcipiat. Qui non laborat, inquit Apostolus,
non commedit. Dignus operarius, non piger merce-
de sua. Non ad oculum serviendum & solum propter
hanc mercedem quam ab hominibus expectamus. Chri-
stus promisit se remuneraturū, quod recte & fideliter ge-
geri-

ritur ab aliquo. Dicetur enim servō bono & fideli: Eu
ge ser ve boae & fidelis in parvo fuisti fidelis, constitueris
in multa, Intra in gaudium Domini tui. Habemus in
Christo ipso satis manifestum diligentia in officio exem-
plum in prosectionibus, in docendo, in faciendo Mira-
cula.

L. C. 2. Studeamus quam plurimis servire, non
contenti simus quod nni vel alteri benefaciamus, non de-
sistamus a benefaciendo propter ingratitudinem multo-
rum hominum. Ita Christus hoc miraculum sanationis
sordi & muti, non in obscuro loco fecit, sed in loco ce-
lebri, ad quem multi confluenter, Studeamus etiam
omnia opera nostra facere in Dei gloriam, & in luce,
fugiamus opera tenebrarum, qualia enumerantur Rom.
13, II. 12. 13. 14.

SECUNDA PARS.

*In prima parte profectionem Christi descri-
pitam vidimus. Unde venerit Christus, & quo
venerit: In hac secunda parte miraculum quod in hoc
itinere fecit aspiciendum est.*

In quā meditamur.

**I. Causam vel occasionem hu-
jus miraculi.** Hanc indicat Evang. Marcus dicens: &
adduxerunt ei surdum & mutum orantes eum, ut impo-
neret ei manus. Diabolus enim permittente Deo &
auditum & sermonem illud emerat.

L. C. 1. Talia exempla ostendunt quanta Ty-
rann de Sathan grallatur propter peccatum in totum

genus

genus humanum, nisi divinitus cohiberetur.. Etsi autem non omnes corporaliter a Sathan obseruentur, ut muti & surdi sint: Tamen etiam eorum conditio misserrima est, qui ad audiendum verbum Dei, aliasque sanas admonitiones, surdas aures habent, & qui muti sunt: ut neque veritatem cœlestis doctrinæ confiteantur neque Deum invocent, aut laudent, neque salutaria loqui possint.

L. C. 2. Non modò cœlestia & terrena, sed & temporalia & corporalia bona, in hac vita a Deo petienda esse. Sunt enim qui affirmare audent, indignum esse homine Christiano, petere a Deo bona temporalia, quod refutat præsens Historia, in qua adducentes surdum & mutum miserum hominem, petunt rem corporalem, liberari eum, ab his vitijs & morbis, ac sanari, & ut petunt ita impetrant. Imo omnia miracula a Christo in rebus corporalibus facta, hunc errorem refutant, & in primis Oratio Dominica, in qua claris verbis praecipitur, ut panem nostrum quotidianum petamus. Loquitur enim de corporalibus bonis, de vita & incolumitate corporum, de bona valetudine, de victu, domicilio, pace defensione, omnibusque denique vitæ comodis, praetidijs & adminiculis, sicut in præsenti vita corpora multis & diversis rebus indigent, cibo, potu, bona valetudine, certis oeconomijs, possessionibus, nudulis tuguriolis, felici ac pia administratione Politiarum, quæ præbent nobis hospitium, quemadmodum videmus, hanc externam & corporalem vitam in digere plurimorum hominum ope, officijs & praesidijs. Nec est ulla sapientia humana & intelligentia tanta, quæ fas sit intelligere ac prospicere ne dum eloqui possit, quot

& quām diversis rebus ad retinehdam & tuendam vas
letudinem opus sit. Non enim jam declamito de re-
bus vitæ non necessarijs, ut de non necessarijs apparati-
bus, pompis & profusionibus, de quibus hanc petitio-
nem nūc iamē convenit intelligi, quæ tantū loquitur
de omnibus bonis corporalibus necessarijs in hāc vitā.
Hāc igitur quotidiana & necessaria beneficia, quoad e-
jus fieri potest, omnia veniant in mentem, ac in conspe-
ctu sint recitantibus hanc petitionem, *Panem nostrum quo-*
tid anum da nobis hodie, h. est. da nobis omnia corporis
comoda, sustenta & proroga nobis vitam, da nobis
bonam valetudinem, ut labores vocationum perferre
possimus, da viatum, cibum, potum, da pacem, medio-
crem tranquillitatem, hospitia, politias, conjugia, œco-
nomias, ut loboles foveri ac educari possit, protege do-
micilia, Tuguriola & oppidula nostra, da commodas
tempestates, fœcunditatem agrorum, fruges, annonam,
da bonos successus in officijs vocationis, felicitatem in
administratione publica & œconomia, successus in
communicatione rerum per contractus, in negotiatio-
ne, in opificio, concede parvis meis liberis longa & fel-
cia vitæ spatia, da vires corporis & vigorem ingenio-
rum, non sinas in his regionibus civilibus bellis, vel se-
ditionibus barbaricam vastitatem fieri, defende casulas
nostras, ne incendijs & alijs cladibus pereant. Has &
similes corporales necessitates memineris tibi cum ani-
mo tuo considerandas & expetendas esse veris gemiti-
bus quoties oras *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*.
Qua in cogitatione multæ gravissimæ, maximq; mo-
menti doctrinæ tibi discendæ, meditandæ, intimisq;
sensibus erunt infigendæ.

II. Modum sanationis. Hunc

indicat S. Evangelista dicens. Et apprehendens eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas ejus & sputo emisslo, tetigit lingvam ejus, ac suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi Ephphatah, quod est aperire. Et statim apertæ sunt ejus aures, & solutum est vinculum lingvæ ejus, ac loquebatur rectè. Utitur Dominus in hoc miraculo edendo, ideo his gestibus & tali pompa, propter Spirituale miraculum, ut ostendat quam difficile & laboriosum opus sit in Ecclesia, surdos facere audire, & mutos loqui. Lazarum unico verbo exuscitat, clamans: Lazarus veni foras. Ad Paralyticum inquit: Surge & ambula, & mox morbo liberatur. Sed in hoc surdo & muto curando maiorēm operam sumit, & singularibus gestibus utitur, cum digitos in auriculas ejus mittit, & sputo emisslo tangit lingvam ejus, suspicit in cœlum, ingemiscit, & tum primum ait: Ephphatah quod est aperire. His gestibus docere vult Dominus, quod si à vinculis & laqueis Diaboli liberari, & solutam lingvam ac sanas & aptas aures habere volumus, necessæ esse hoc fieri per verbum extēnum & vocale, ac ministerium verbi, ac per extēna signa.

L. C. Discendum igitur est ex his ceremonijs & hac pompâ, quā Christus hic usus est, quām paterno animo Christus nostris miserijs afficiatur, ut simus diligentes in frenanda & cohercenda lingua, & auribus sanis custodiendis, sicut nobis ab ipso restitutæ sunt, ne per Diabolum & Pseudodoctores iterum vitientur & corruptantur.

Secundò, ut singuli, & quisq; in sua vocatione
pro hoc beneficio solutæ lingvæ, & auribus fanatis, sese
gratum erga doctrinam Christi ostendat. Princeps in
gubernatione Politica, pastor in docenda & regenda
Ecclesia, Parentes in œconomia, quisq; suum officium
faciat. Subditi verò & reliqua multitudo habeat au-
res audientes sieuti Christus eas aperuit. Aurem enim
audientem & oculum videntem, Dominus fecit utrum-
que. Quisq; diligentè consideret gemitus & gestus
Christi hoc loco, & nos ad seriam conversionem, invo-
cationem & gratiarum actionem exuscitemus'. Cum
etiam jam vera doctrina Dei iterum accésa sit, ut doceri
possint homines, quid & quomodo credendū, & singu-
li Articuli fidei illustrati sint, ac vinculum lingvæ solu-
tum. Deinde & aures rursus apertæ sint, summis vi-
ribus danda opera est, ut quod cor credit, os & lingua
loquatur ac confiteatur, & aures audiunt, id etiam opere
præstemus & exprimamus'. Graviter invehitur Apos-
tulus Jacobus in illos, qui simulant se habere fidem,
& non habent bona opera. Jacob: 2. ¶.18. Sed dicit
quis': Tu fidem habes & ego opera habeo: Ostende
mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex
operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est
D E U S, benè facis': Et dœmones credunt & contre-
miscunt. Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam
fides sine operibus mortua est: Abraham, pater noster,
nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac, filium
suum super Altare? Vides, quoniam fides cooperatur
operibus illius: & ex operibus fides consummata est?
Et suppleta est scriptura, dicens': Credidit Abraham Deo
& reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est.

Vide.

Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non
ex fide tantum. Similiter & Rahab meretrix, nonne
operibus justificata est, suscipiens nuncios, & alia via ejus-
tens'. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est,
ita & fides sine operibus mortua est.

III. Populi spectantis admiratio-
nem. Hanc Evangelista sic proponit: *Et*
præcepit ne cui dicerent. Sed quo magis ille eis præ-
ceperat, hoc potius amplius prædicabant, & supra mo-
dum stupebant, dicentes: *Bene omnia fecit, &* sur-
dos fecit audire & mutos loqui. Quare C H R istus
prohibuerit revelare hoc miraculum alijs, graves habuit
causes'. Neq; enim ita absolutè prohibuit ne un-
quam divulgarent hoc miraculum, sed tantum ut suo
tempore hoc facerent voluit. Verum populus tam
servidus erant, ut ex bona intentione nihilominus pu-
blicè clamaverint dicentes: *Omnia bene fecit, &c.*

L. C. I. Cursus Evangelij non ægrè ferendus
quacunq; occasione ille promoteatur. Ita Apostolus
Paulus dicit se gaudere, & gaudere velle quod annunciat
etur Christus quacunq; occasione. Phil: 1. à y. 12. ad 19.
Scire autem volo vos, fratres, quia, quæ circa me sunt
magis ad profectum venerunt Evangelij, ut vincula
mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio,
& ceteris omnibus, ut plures è fratribus in Domino
confidentes in vinculis meis, abundantius auderent
sine timore verbum loqui. Quidam quidem & pro-
pter invidiam & contentionem.. Quidam autem

Et propter bonam voluntatem Christum prædicant.
Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincerè: Existimantes, pressuram se suscitare vinculis meis. Quidam ex charitate, scientes, quoniam in defensionem Evangelij positus sum. Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur, Et in hoc gaudeo, sed Et gaudabo.

L. C. i. Opera Dei prædicanda sunt, benè ponderanda & meditanda, inde fit ut promptiores simus in illorum prædicatione & celebratione. Hoc docet Psalmista Psal: III. Opera, inquit, Domini magna sunt, & qui illa diligenter meditatur svavitatem percipit. Et sicut verbum Dei cum benè perpenditur, svavitatem operatur, ita etiam opera Dei, seriò meditata pariunt jucunditatem. Et qui hæc opera meditatur erit tanquam lignum quod plantatum est, secus decursus aquarum, & opera eorum etiam prosperabuntur. Ideoq; monet David Psalm: 34. vers. 12. seqq: ad 23. dicens: Venite filij, audite me: Timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies vivere bonos? Prohibe lingvam tuam à malo, Et labia tua ne loquuntur dolium. Diverte à malo, Et fac bonum: Inquire pacem, Et persequere eam. Oculi Domini super justos: Et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala: Ut perdat de terra memoriam eorum. Clamaverunt Et Dominus exaudivit Et ex omnibus tribulationibus eorum

corum liberavit eos. **J**uxta est Dominus ijs qui tribulato sunt cord: **E**s humiles spiritu salvabit. Multæ tribulatioes justorum: **E**s de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit omnia ossa eorum: **U**nus ex his non conderetur. Mors peccatorum pessima: **E**s qui oderunt justum delinquent. Redimet Dominus animas servorum suorum: **E**s non relinquent omnes qui sperant in eo. Operum Dei prædicatio maximam secum habet jucunditatem. Svave enim est nomen Domini laudare. Psal: 92. per totum Psalm.

Conserva Populum tuum D E U S, **E**s tuo nominis fac devotum, ut divinis subjectis effigies, **E**s temporalia utiliter **E**s eterna dona feliciter percipiat. Per Dominum nostrum J E s u m Christum Amen.

Benedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apoc, 7;12.

Q U A E S T I O N E S.

Quid opus est petere bona corporalia, si quidem Christus dicat Patrem suum cœlestem scire quibus opus habeamus? **R**esp.

Omnino petenda sunt à D E O bona & corporalia & spiritualia, liquidem Deus mandavit ut oremus, Psalm: 50. v. 15. Invoca me in die tribulationis. Matth: 7. Petite & dabitur vobis,

vobis. Planè igitur & clarè potest intelligi,
non idcirco preces inutiles, sed Deo gratas & effi-
caces esse.

II. An impositio manuum per quam dona sanatio-
num & alia conferebantur, fuerit certi temporis
& jam imperita à Pontificijs mutetur in Sacras
mentum confirmationis? Aff.

Impositio enim manuum illa, per quam alijs
subito conferebantur miraculosa dona, nimirum
dona loquendi varijs, antea ignotis, nec arte dili-
gentiaq; & doctrinā acquisitis lingvis, dona sana-
tionum extemporanea, dona subito & cum im-
perij expellendi ex obsessis diabolos, dona per
unctionem & impositionem stropholorum, vel
per umbram sanandi ægrotos ex tempore, olim tan-
tum modò ad certum tempus, ideo erat injuncta
& usurpanda, ut hoc pacto confirmaretur illud,
Messiam verè exhibitum esse, & quidem in spe-
cie, hunc esse verum Messiam, cuius instinctu, &
nomine manus imponerentur, & miracula stu-
penda ederentur. Alia est impositio manuum,
quam in V. T. usurpatam, tandem in N. T. in introdu-
ctionibus & ordinationibus novarum Ministrorum,
itidem retinuerunt, & adhuc retinent nostræ
Ecclesiæ, non pro producendis miracu-
losis effectis, sed pro alio fine.

